Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

pugnat frustra contra se bella
extra se posita sublevat. Qui enim
semetipsum carnalibus subiugat
quoniam spiritalibus vitiis resultat
aut quoniam de labore exter-
minationis triumphare appetit
qui adhuc apud semetipsum
domestico libidinis bello suc-
cumbit; vel certe armatis
hostibus in occursum pergimus
quando per exhortationis studium
eorum insidias et in alieno
corde premimus. Quasi enim
ex loco in quo sumus ad locum
alium hostibus obviam venimus
quando nostra cura ordinate post-
posita accessum immundorum
spirituum a proximi mente prohi-
bemus. Unde fit plerumque ut hos-
tes callidi militem dei iam
etiam de intestino bello victo-
rem tanto de semetipso turbulentius
temptent quanto illum contra se
et in alieno corde preliari for-
titer vident ut dum illum ad se
tuendum revocant aliena cor-
da liberius que exhortatione
eius protegebant invadant. Cumque
eum superare non possunt saltem
occupare conantur. quatenus
dum miles dei de semetipso
sentit non ipse sed is quem
defendere consueverat pugnat.
Sed mens in deum immobili-
ter fixa temptationum spicula
despicit nec eius libet iacu-
la pertimescit. Superne enim
gratie fretus auxilio sic vul-
nera infirmitatis sue cu-
rat ut aliena non deserat.
Unde bene de hoc equo sub-
iungitur. Contempnit pavorem
nec cedit gladio. Contemp-
nit pavorem quia nullius for-
midine temptationis ad hoc
usque terretur ut taceat. nec
cedit gladio. et quia et si vio-
lenta illum temptatio pulsat
a cura tamen proximi non re-
pellit. Unde et paulus exem-
plum nobis invicte conversa-
tionis insinuans et quos
ab hoste gladios susciperat
dicit et quoniam eisdem gla-
diis non cedat ostendit.
Omni autem iam carnalis o-
peris pugna superata. car-
nalis temptationis gladium
ab hoste susceperat qui di-
cebat. Video aliam legem in
membris meis repugnantem
legi mentis mee et captivan-
tem me in lege peccati que
est in membris meis. Sed eidem
gladio quem in se viderat
in aliis non cedebat cum
perfecto proximis diceret. Non
regnet peccatum in vestro mor-
tali corpore ad obediendum
desideriis eius. Et rursum.
Mortificate membra vestra que
sunt super terram. fornicatio-
nem. immunditiam. libidinem.
concupiscentiam malam. Gravi e-
tiam ille temptationum gladio
feriebatur. de quibus ipse ait.
In laboribus plurimis in
carceribus habundantius in
plagis supra modum. in
mortibus frequenter. A iudeis
quinquies quadragenas u-
na minus accepi. ter virgis